

funde in igne, & habebis corporalem Venerem,  
Saccharum Saturni intra quadrantem II, cum  
tartaro calcinato, ope ignis fusorii, redit in suum  
corpus. Quid itaque jam concludemus? Ergo  
haec præparationes mercurii, coralliorum, perla-  
rum, Saturni, Veneris nullæ sunt, neque dedu-  
cunt subiecta præparationi corpora in melius.  
Atque ita non tantum Crollio, ejusmodi præpa-  
rationes summis laudibus extollenti, verum etiam  
ipsi experientiæ contradicemus. Atqui per Crol-  
lium non licet aliter, nisi hanc ipsius majorem, in-  
genua litura prorsus deleamus. Quam ipse forte,  
tam inconsideratè non proposuisset, siquidem  
magisterii propriè ita dicti in genere namque id  
nominis, quodcunq; apotelesma spagyricum cō-  
plectitur) naturam exactius habuisse cognitam,  
videlicet finis chymiae, est exaltare corpora medi-  
cinalia. Hæc exaltantur, vel separatione partium  
purarum ab impuris, utilium ab inutilibus, cujas  
separationis exempla nulli non sunt obvia,  
vel citra sui separationem exaltantur, quod fit re-  
ductione in magisterium. Estque hoc, uti ex Para-  
celso alibi elucidavi, opus spargyricæ, in quo cor-  
pus integrum citrà sui separationem substantia-  
lem, per conjunctionem menstrui appropriati, &  
convenientis exaltatur. Talia magisteria sunt illa  
mercurii, coralliorum, perlarum, Veneris, Satur-  
ni, ex Crollio supra allatæ præparationes. Tale au-  
rum potabile Angli illius, tale quoque nostrum:  
Imò vero ipsa vera, & genuina, omnium tum me-  
tallorum, tum concharum, hisque affinium cor-  
porum, præparatio spagyrica, non nisi in magiste-  
rio sita est, ut rectè magisterium solis, quintam es-  
sentiam solis, esse Paracelsus affirmet. Le.